



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraenesis De Eleemosyna**

**Alardus <Aemstelredamus>**

**[Köln], 1545**

**VD16 A 1250**

Cu[m] gaudio & hilaritate pauperibus opitulandu[m] esse.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63012](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63012)

## DE ELEEMOSYNA.

**A**ugustini in Psalmum quadragesimum secundum enarratio: Si fregeris ex animo esu rienti panem, quia plerunque sit à tristibus & à murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant uiscera indigentis. Hilarem autem datorem diligit deus. Si panem dederis tristis, & panem & meritū perdidisti. Ergo ex animo fac, ut ille q̄ intus uideret adhuc loquente te, dicat: ecce adsum. Quām celeriter accipiūtur orationes bñ operantium, & hæc iustitia hominis in hac uita, ieiumum, eleemosyna, oratio. Vis orationem tuam uolare ad deum: Fac illi duas alas, ieiumum & eleemosynam.

Cū gaudio & hilaritate pauperibus opitulandū esse.

**C**hrysostomus in caput Geneseos 15. homilia 36. Neque pecuniarum sumptus tantum spectemus, si quando opus est eas pauperibus erogare, sed potius quantum inde nobis accrescat. Ea em̄ de causa semini eleemosynam cōparauit diuina scriptura, ut cum gaudio & multa alacritate eam operemur. Nam si n̄ qui semina terræ concredunt, & unica, & intus reposita spargentes, ita negotiantur, & bona spe fouentur, & nunc manipulos imaginantur ac plenas areas, multomagis quibus datum est semen hoc spirituale seminare, gaudere & exultare cōuenit, quod messuri in cælo hoc quod in terra serunt, & nummos expendunt, peccatorum autem remissionem accipiūt, & fidutiæ materiam inueniūt, conciliantes sibi per ea quæ hic dant, perpetuā quietem, & cum sanctis conuersationem,